

idem non potest perfectum omninò facere; semper enim proceditur naturæ viribus à remisso ad intensum, vel à tarditate ad velocitatem, &c. & non aliter: Sed in viâ veritatis dicendum est, Arbores primordia habuisse felicissima, atque perfecta, & idè mites omnes fuisse, quæ in generationibus postmodum secundum naturæ ordinem succedentibus, primò sylvestres, & feræ sunt, deinde fiunt mites artificiis variis median- tibus, ut sationis, insitionis, transplantationis, culturæque exactioris. Et hoc indicant, imò demonstrant semina vulgò dicta, in quibus sub formis diversis conceptaculorum ad modum ovorum in animalibus gignuntur, foventur, & excluduntur arborei foetus, qui omnes naturæ sunt sylvestris, etiam si è ventre matris Arborum prodierint; circa quæ semina nobis excitare contingit aliud solvendum Problema, nempe cur plantarum prædicta semina ingesta per os animalium integra, & inalterata egerantur? cum tamen terræ commissa immutentur, & pullulent, ut ipsa docet experientia: & quare aliqua ex iisdem seminibus nisi devorata, & egesta nascantur, & super Arbores tantum, ut visci semina, quorum sator est turdus, unde proverbium effluxit: *turdus sibi cacat mortem*. Cui respondet Aphrodiseus id esse, quia sementica pleraque grana sunt parva, & sicca, duriusculique corticis, quare facilè concoqui nequeunt, nec ita facilè patiuntur vegetandi vim sibi connaturalem resolvi, quam pervicacius retinent, unde non unam tantum præparationem ad germinandum requirunt aliqua. Possent addi calorem solum non sufficere ad dissolvendum semina, sed requiri humidum analogum, atque subjectum fovens, nimirum tellurem, vel mediata, ut in visco nascente non alibi, quàm super Arbores, vel immediata, ut in foveis, & sulcis terræ pinguis, riguæque. Et quoniam eadem semina in genere sunt maximæ virtutis, ex Aristotele docente, quod plantarum acrima semina sint acriora, quàm radices, & folia, tanquam fundamenta, & origines partium omnium, & qualitatum universarum tam gustabilium, quàm olfactui, visuique subjectorum; in quibus seminibus humores omnes virtualiter continentur, & iidem propterea coalescunt in plantas, vel ad aqueitatem, vel ad resinofam, gummosam, melleam, pinguemve substantiam variorum colorum, & odorum tendentes, sic longiori, aut breviori temporis spatio, aliisque concurrentibus circumstantiis diversis in seminibus vegetativa virtus in actum promovetur. Hic exquirere alius posset, cur genus stirpium sylvestrium, magis que ferarum validius sit, & lætius urbano? unde solet apud agricultores dici sylvestrium plantarum tellurem esse matrem, urbanarum verò novercam. Cui respondet Alexander, id esse, quoniam solertia naturæ humano non creatur ingenio; Natura enim conservationem primariò intendens, effeminatos, & effætos nimio artificio foetus præternaturali quadam relaxatione ad nimiam vel magnitudinem, vel numerositatem festinantius quoque, quàm par esset incitatos averfatur. Hinc & Arborem ipsa natura feliciter in uno quam in alio alit, augetque loco, ubi scilicet cælum, terraque simul in qualitatibus ipsis specificis arboreæ speciali magis congruunt temperiei; tunc enim natura liberiori manu sua munera expandit, inque

flores, summosque germinum apices, in quibus balsamicos sublimes inserit succos cæli verius filios, convertit: Hinc non immeritò balsami vocem lingua punica exponit *Baalsamex*, id est cæli donum. Transcunt aliquando Arbores aliquot in alias Arbores, primæva mutantur folia, alioque colores, & mores induentia, ut alba populus in nigram; olea in oleastrum; Arbor fulgurita desinit esse dulcis in pomis, quæ aspera, vel etiam amara fiunt. Id fieri præcipuè diceret Scaliger cæli suffragio, quo alia Arbores foliorum occupant perennitatem, quæ alias

— foliis pronos mutantur in annos,

Ita ut quæ benevolò astrorum aspectu, blandoque tepore tanguntur, prærogativas acquirant meliores, & ex potamiis v.g. Thalasciis, Limnibusque, id est fluvialibus, marinis, & palustribus, lemniades, sive campestris, atque fructiferæ, simulque speciosæ evadere possint. Ad quid (dicit aliquis) tam de levi tribuerem, atque concederem carnem, musculos, nervos, venas, cor, jecur, matricem, artus majores, minoresque, & alia membra Arboribus ipsis absque motu animali, & progressivo? frustra enim est calceamentum, cuius non est calceatio. Cui satisfieri posse autum tali ratione per tradita ab Aristotele, aliisque Scrip- toribus, nimirum prædictas partes minimè univocas cum membris animalium fortitudinis, & roboris durabilis causa fuisse à naturâ fabricatas; unde fibræ virium internarum vehiculum, & viscera ipsa sunt perficientia instrumenta, & artus sunt retinacula validissima earundemmet virium immobilis persistentiæ; in cuius sensus confirmationem cecinit Virgilius

Tum fortes lateramos, & brachia tendens,

Huc, illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.

Exercit.

141. & 156.
Hor. in A.P.

L. 2. Georg.

Conferunt præterea nonnulla ad alia nodosæ Arborum articulationes, nimirum vel ad discriminandas ætates, & coalescentiam corticum, & ligni signandam, circumscribendamque figuram formosam magis, & gratiosè protuberantem in caudice; extremique pollices à Geoponicis Thalli nuncupati à Græco *θαλαμειν*, quod est virere, individui conservant virorem, eundemque speciei multiplicat mirabiliter. Quæ vires hoc disticho concluduntur,

*Artibus Arboreis discrimina pleraque subsunt
Ætas, circuitus, formaque, robur, onus.*

Suprascripto Problemati affine est immediatè sequens. Quare nodosa, & aspera materies Arborum citius putrescat, quàm enodis, & lævigata, & tamen hæc est minus dura, & obnoxia propterea alterationibus etiam levioribus? Responsio est in promptu, & est huiusmodi: duo esse genera nodorum, alterum præter naturam infirmum, & imbecillum, & citò putrescibile, alterum naturale ad lapideam firmè duritiem pervadens, atque arctissimè primigeniam complectens humiditatem verè radicalem, quæ, quo minus ab aere ambitur inæquali, modo humido, modo sicco, eo magis, & diutius perdurat incolumis, quod fit dum aquis perpetuò mergitur, aut in profundo telluris ulla absque perspiratione manet, quæ perspiratio si eo perveniat, de ligni duratione actum est; hoc enim veluti fungus citissimè tenescit, & putrescit, in quo statu non datur mediocritas, ut his exprimitur versiculis,

Excipe

Probl. sect.
10. Probl.
10.
Ambrosius
Leo Nolanus
Probl.
375.

Probl. 2.
num. 52.